

05 A 365

05

A

365



Q. D. B. V.
DISSERTATIO THEOLOGICA
DE
BONA MANSVE-
TORUM FORTUNA,

Ex Oraculo Christi juxta Matt. c. 5. v. 5.

QVAM
SUB PRÆSIDIO
VIRI

Maximè Reverendi, Magnifici, Amplis-
simi atqve Excellentissimi,

DN. JOHANNIS DEUTSCHMANNI,
SS. Theol. Doctoris & Prof. Publ. undiqvaqve
Celeberrimi, Alumnorum Electoralium Ephori
longè Gravissimi & p. t. Decani specta-
rissimi,

Eruditorum Examinei subijcit

M. JOHANNES CHRISTOPHORUS Köhler/
Bornens. Misnicus,

in Auditorio Majori

ad d. 5. Novembr. A. O. R. M. DC, LXXVII.
horis consuetis.

WITTEBERGÆ, Typis JOHANNIS BORCKARDI, Acad. Typ.
excudebat SIMON LIBERMIRT.



05 A 365

ORACULUM CHRISTI NONUM

JUXTA MATTHÆUM

CAP. V. v. 5.

DE BONA MANSVETORUM FORTUNA.

Textus Græcus: Μακάριοι οἱ πνεῦμα κληρονομήσουσι τὴν γῆν. *Latinus Vulgatus; Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. German. Lutheri: Selig sind die Sanftmüthigen: denn sie werden das Erdreich besitzen.*

1. Ut planior & plenior sit Oraculi præsentis ἐργασία, propterea notamus I. *Analysin Grammatico-Philologicam*, quæ consistit in accuratiori vocum elucidatione, cum voces sint rerum symbola, nostræ cognitionis media, Divinæ Sapientiaë vehicula.

2. Μακάριοι. Vox hæc nunc tertiâ vice repetitur, & ad tertium beatitudinis Christianæ gradum refertur. Vox ista decies & ter apud Matthæum adhibetur, novies in hac beatitudinis Christianæ catena, quater in seqq. capitibus, & quidem adhibetur (1) de beatitudine mystica, vel Christiana, quæ pariter interna, vel spiritalis dicitur, sic in hoc capite novies repetitur, & in omnibus gradibus ad mysticam illam beatitudinem significandam refertur, prout ex omnium versiculorum collatione, vel inductione manifestum. (2) De beatitudine Ecclesiastica, vel externa, quæ videtur esse triplex: (a) Generalis omnium Christianorum, qui non vel in Messia doctrina, vel vita scandalizantur, Matth. XI. 6. Μακάριός ἐστιν, qui non fuerit in me scandalizatus: quæ beatitudo communis dicitur omnibus Ecclesiæ civibus. (b) Specialis, nim. Apostolorum, & aliorum discipulorum, tempore Christi

A

Christi

Christi viventium, *Matth. XIII. 16.* ὁμῶν ἢ μακάριοι οἱ ὀφθαλμοὶ μοι: *Beati sunt oculi vestri, quia vident: & aures vestrae, quia audiunt. Amen quippe dico vobis: quia multi Prophetae & iusti cupierant videre, quae videris, & non viderunt: & audire, quae audieris, & non audierunt.* Hæc beatitudo tum *Juda* cum reliquis *Apostolis* fuit communis. (c) *Singularis, solius Petri, quia solus hic propter illustrem Confessionem beatus à Christo prædicatur Matth. XVI. 17.* Μακάριος εἶ Σίμων, *Beatus es Simon, Bar Jona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in caelis est.* (3) *De Beatitudine domestica, Matth. XXIV. 46* Μακάριος ὁ δούλος, *Beatus ille servus, quem, cum venerit Dominus ejus, invenerit sic facientem, nim. œconomiam fideliter & prudenter administrantem.*

3. Οἱ πραεῖς à πραῦς, lenis, mansuetus, juxta nonnullos à *πρωῶ* transeo, supero, cum mansuetus sit facile pervius, ad injurias superandas non difficilis, injurias & offensas facile superans: secundum alios *πραεῖς* dicuntur quasi *ῥαεῖς*, à *ῥαῖος* facilior, cum mansuetudo sit quædam *facilitas*, & *morum lenitas*. Sic ex hoc *πραεῖς* nonnulli *Latinum Parvus* deducunt, cum mites in oculis suis *parvi* videantur. In *N. T.* ter occurrit hoc nomen, (1) *generaliter h. l. Matth. V. 5.* de omnibus in universum *Christianis mansuetis, μακάριοι οἱ πραεῖς, Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* (2) *Specialiter de mansuetis & modestis, verèq; Christianis mulieribus, I. Pet. III. 4.* quòd earum non sit extrinsecus *capillatum, aut circumdario auri, aut indumenti vestimentorum cultus: sed qui absconditus est homo cordis, ἐν ᾧ ἀφάρτος ἔστι πραεῖς καὶ ἡσυχία πνεύματος, in incorruptibilitate quieti & modesti Spiritus, qui est in conspectu DEI locuples.* Hieron. lib. 1. *contr. Jovin. in incorruptione mitis & silentis Spiritus, Luther. unverrückt mit sanftem und stillem Geist / dum per πνεῦμα πραεῖς Petrus intelligit morum facilitatem: ac animi mansuetudinem, oppositam invidia, iracundia, superbia &c.* (3) *Singulariter de Christo Matth. XXI. 5.* Dicite *Filiae Sion; Ecce Rex tuus ἐρχεται σοι πραῦς, venit tibi mansuetus: nam Christus solus dicitur*

citur in N. T. $\pi\rho\alpha\upsilon\acute{o}s$ & $\pi\rho\alpha\grave{\alpha}$, cum hoc posterius semel saltem
 in Scriptura N. T. reperiatur *Matth. XI. 29. Tollite jugum meum
 super vos, & ducite à me, $\delta\tau\iota$ $\pi\rho\alpha\acute{o}s$ $\epsilon\iota\mu\iota$, quia mitis sum, & hu-
 milis corde, & invenietis requiem animabus vestris.* B. Chemni-
 tius observat, quòd LXX. reddiderint $\pi\rho\alpha\acute{o}s$ *Job. XXIV. 4.
 Psalm. XXXVII. 12. LXXVI. 10. mansuetos, seu mites terra, ubi
 Hebraei legunt לֵב quod ab afflictione & consideratione mentis orio-
 ginem habet. Et quia hac sententia de mitibus ex Psalm. XXXVII.
 11. desumpta est, inde rectissime consueti potest, quos b. l. Christus
 mites, seu mansuetos intelligat: qui scilicet commotionibus, seu
 passionibus emulationis, ira, & dignitatis erga DEUM, & erga ho-
 mines pià moderatione imperare possunt. Erga DEUM quidem,
 ut non indignentur, aut turbentur, vel ob impiorum successum, vel
 ob proprias adversitates, à DEO immixtas, sed placido animo DEI
 judicia ferunt. Erga homines verò faciunt bonitatem, inveniunt
 se fide & veritate, imò laceffiti injuriis, non ita commoventur, ut ma-
 lefaciant; sicut Psalmus inquit: b. e. non contentiosè verbis pu-
 gnant cum improbis, nec meditantur, aut exercent vindictam fa-
 ctis, sed acceptis injuriis patienti tolerantia, taciturnitate, cessione,
 miti responsione, ac placidà morum suavitate & beneficentià, con-
 tendunt hominum improbitatem superare, non summo jure in de-
 pellendis injuriis utuntur, sed fugiunt contenciones, tolerant inju-
 rias, & condonant potius offensiones, quàm ut aliquid turbent:
 DEO autem causam suam commendant, & auxilium ac judicium
 ejus expectant. Hac descriptio mansuetudinis, qua in Scriptura
 multas egregias commendationes habet, ex significatione vocabuli,
 & ex Psalmo XXXVII. rectè ita colligitur. Augustinus inquit:
*Mites sunt, qui non resistunt malo, sed bono vincunt malum.**

4. $\delta\tau\iota$ $\alpha\upsilon\tau\omicron\iota$ $\kappa\lambda\eta\rho\nu\nu\omicron\mu\eta\sigma\omicron\iota$ $\text{ἡ$ $\gamma\lambda\omega\sigma\sigma\iota\alpha$, quia ipsi hereditabunt,
 vel hereditate possidebunt terram: $\delta\tau\iota$ notat rationem, vel cau-
 sam non productionis, sed promissionis, non operationis, sed conse-
 cutionis, non facti, sed fidei, non crudelitatis humanae, sed beni-
 gnitatis divinae.

5. $\alpha\upsilon\tau\omicron\iota$ pariter hìc emphasi non caret, quia $\pi\rho\alpha\acute{o}s$ cum

à priori, eum à posteriori, per certam *emphasin* modificantur, imitantur, commendantur, dum in priori *commate* non simpliciter *περὶ*, sed *ὅτι περὶ* nuncupantur, nunc autem per *δευτέρου* *κόν* pronomen, *ἀπὸ*, rursus indigitantur, quòd non alii *vulgares* & *monetes mansueti*, sed *hi spirituales tantum*, de quibus Christus hinc verba facit, sint hujus *promissionis* *subiecta*.

6. *Κληρονομήσας* dicitur à verbo *κληρονομέω*, quod est à nomine *κληρῶ*, quod significat *sortem*, & *οἱ κληρονομοὶ* vocantur *sortes*, nim. ipsa *symbola*, vel *media*, sortitioni destinata, vel *intervientia*, quæ mittuntur in urnam, ut *sortilegium* instituat: & à verbo *νέμω*, *distribuo*. Significat igitur *formaliter*, *sorte distribuere hereditatem*, *sorte accipere hereditatem*, cum olim per *sortilegia* plerumque *heredes* *substantiam hereditatis* *distribuierint*, quemadmodum etiam de *sortitione terre Canaan*, vel *promissionis*, apud *Josuanam* multa leguntur: consequenter etiam, & *materialiter* significat *heredem esse*, *hereditario jure* vel *accipere*, vel *possidere*, & ita *quietè à possessione hereditatem obtinere*, vel *recipere*, sicut etiam h. l. *κληρονομέειν ἢ γινώ* *materialiter* est *pacifice*, *quietè*, *sine lite* & *actione*, *suis bonis in hac vita frui*, eaq; *cum benedictione divina per hereditatem ad posteros transferre*.

7. *ἢ γινώ* à nomine *γῆ*, quod pro *γαῖα* *terris* communiter usurpatur, & descendit ab *inuitato γῆα* per *contractionem*, quod tamen *exens compositionem* non adhibetur, in *compositione* tamen sæpius invenitur. Grotius ad h. l. scribit: *ἢ γινώ* *dicere* videtur *firmas atque constantes amicitias*, quæ in *terris* longè *optima est possessio*. Has autem *comparare* sibi *facillimè* solent, quæ *amici*, *placidos* sunt animo: *quæquam* & *ad alias res minores* *tuendas multum valet* *hec virtus*. Quippe *ὁ θυμὸς*, ut est apud *Philosophum*, *Φύων ἀπὸν συμφορᾶς σύμμαχον*, *βλάβης συνεργὸν καὶ ἀλιμίας*, *κηρυάτων ἀπώλεια*, *ἐπὶ ἣ καὶ φορᾶς ἀβχηγόν*. Adde *Psal. XL. 1*. Verùm *Dn. D. Calovius* rectissimè *Grotium* in eo notavit scribens ad h. l. *Hec non ex Philosopho*, sed *Spiritus Sancti stylo explicanda* enant. *Non enim moralia* *mandantur*, sed *supernaturalia*; *nec promissiones legales*, sed *Evangelicæ*.

Ecce. Et quæ hæc glossa, per *ἰὺν ἡν* firmas & constantes amicitias intelligere? ubi usquam in S. Literis hæc vox isto significatio occurrit? De terrâ novâ, quam iustitia incolit, II. Pet. III. 17. de *ὄνει ἀληθρονομία*, nobis in conditu mundi parata, hæc accipiendâ *Matth. XXV.* Quæ promissa illis, qui verè *πραεῖς* sunt *πνεύματι*, & *humiles Spiritu.* Non igitur hic naturalis, multo minùs moralis, sed potiùs spiritualis terra dicitur intelligenda, quia verba secundum substratam materiam exponenda.

8. II. *Analysin Logico Theologicam*, secundum quam antè omnia notamus *Tractationis Objectum*, quod est *Bona Mansuetorum Fortuna.* Hujus adducimus (1) *Existentiã*, quòd datur *bona Mansuetorum fortuna*, quæ probatur (1) *ex Christi præconio*, quia Christus eam h. l. prædicavit: prædicatio Christi verò circa *realia*, non circa *rationis figmentum* versatur. (2) *Ex Christi encomio*, quia Christianis eam hîc Christus Orator commendavit, quod certè nunquam fecisset, nisi realem existentiã *bona Mansuetorum fortuna* haberet. Non Entis nulla fieri debet commendatio. (3) *Ex disertis Christi testimonio*, quia disertis verbis eos *beatos* prædicat, qui *mites*, vel *mansueti* h. l. dicuntur. (4) *Ex reali promisso*, quia *terra possessionem*, vel *hereditatem*, talibus mansuetis pollicetur. (5) *Ex moralium mansuetorum suffragio*, quia testantur Ethici, quòd *moraliter*, vel *Ethicè* mansuetos bona fortuna vel comitetur, vel sequatur: multo magis hoc de *spiritualiter* in Domino mansuetis dicendum est, qui DEUM ipsum *autorem*, *præcessorem*, *Matth. XI. 29. inspectorem*, *directorem*, *remuneratorem* &c. habere deprehenduntur.

9. (2) *Essentiã*, quæ dupliciter aliàs exhibetur, *παχυλῶς* in consideratione *Nominis*, *ἀκριβῶς* in contemplatione *rei*.

10. Quoad *Onomatologiam Objectum* nostræ *Tractationis* exprimitur *complexo nomine*, sed *incomplexa res* eodem significatur. Dicitur (1) *Bona Fortuna* non sensu *Poëtico*, quo fingitur esse *Dea* quædam, auspicatoris eventus afferens: nec sensu *Physico*, quatenus causa per accidens naturalium, & quidem casualium eventuum dicitur: nec sensu *Ethico*, quatenus summi

Boni moralis appellatur consequens: nec sensu vulgato, quatenus
onus bonorum externorum affluentia communiter bona fortuna
vocatur: sed sensu Theologico, vel mystico, quatenus per bonam
fortunam spiritualis beatitudo, seu felicitas indicatur, de qua
Christus & hoc versiculo, & in precedentibus, & in seqq. verba fa-
cit, ita tamen, ut ad certa subiecta, certa media, certa symbola
certum respectum &c. beatitudo generalis restringatur.

11. Hinc (2) vocatur Bona Fortuna Mansuetorum, *οἱ πραεῖς*
εἰς appellantur: ubi quoad materiale notandus est articulus emo-
phaticus, qui demonstrat, quod h. l. non intelligantur (1) *Man-*
sveti naturaliter, qui per ipsam naturam ad mansuetudinem
quasi formati, spissituq; leni sine facili commotione, vel multi-
plicatione bilis, præditi sunt. (2) *Nec mansveti moraliter*, qui
multo rerum usu, vel Ethicâ praxi, seu consuetudine, sibi mans-
vetudinis habitum compararunt. (3) *Nec mansveti vulgari-*
ter, qui vel ex senio, vel ex vanitatis mundanae radio, vel ex com-
motionum iræ subitanearum damno, vel aliis modis, ac mediis cir-
curati sunt, & mansvefacti. (4) *Nec mansveti violenter*, qui
jugo servitutis, captivitatis, vel alius disciplina preffi, nullum iræ
frenum laxare conantur, sed ad alterius nutum, jussum, & bene-
placitum mansveti vivere coguntur. (5) Sed *spiritualiter*,
quia mansvetudinem hanc ipse Spiritus S. non nisi per verbum,
in justificatis & credentibus, tanquam fructum Spiritus, opera-
tur, unde cum aliis virtutibus *πραότης* in catalogo fructuum Spi-
ritus recensetur Gal. V. 23. Hinc dicuntur *οἱ πραεῖς* notabili-
ter, singulariter, spiritualiter, mites, atque mansveti.

12. Quoad formale, Bona fortuna Mansuetorum h. l. non
tam consideratur (1) ratione mundi, quatenus ad externam Bo-
nam Fortunam Mansuetorum respectus habetur: hæc equidem
simpliciter mansvetis his non denegatur; neque tamen vel sim-
pliciter, vel universaliter, vel semper, ipsis promittitur, cum o-
mnes externæ promissiones intelligendæ sint cum exceptione,
divinæ voluntatis, crucis & castigationis: (2) Neque tam ratione
caeli, quatenus ad aeternam bonam mansuetorum fortunam respi-
citur;

clitur: hæc enim omnibus his perseveranter mansuetis est ex pro-
missione divina certissima: nondum autem illis in hoc seculo
destinata: (3) Quam ratione DEI, quoad spirituales, mystica-
lem, internam bonam Fortunam in DEO, quatenus in DEO fide-
sunt, mansuetè semper secundum DEUM agunt, in DEO solum &
penitus acquiescunt. De spiritualibus siquidem Beatitudinibus
hæc est sermo.

13. A consideratione Nominis ad contemplationem Rei
progredimur, & sic ante omnia causas hujus Bonæ fortune, seu
felicitatis, notare placet. Causa Efficiens vel est Principalis, ipse
nimirum DEUS, quoad Essentiam unus, quoad personas trinus,
in primis ipse Christus. Refertur igitur ad DEUM (1) essentialiter,
cum sit opus ad extra, unde Christiani mansueti dicuntur h. l. *Beati*
passivè, non *activè*, quia non semetipsos beant, sed à DEO certam
quadam beatitudine donantur, & sic *passivè* beantur, & *Beati* præ-
dicantur. Hinc Ps. XXXVII. *quingvies & decies* JEHOVA, nomen
essentiale DEI, circa primitivum locum adhibetur v. 3. 4. 5. 7. 9. 17.
18. 20. 23. 24. 28. 33. 34. 39. 40. & sic ad essentiam DEI *Bona Mans-*
uetorum *Fortuna* refertur: *semel* etiam nomen proprium *Ado-*
nai v. 13. *semel* etiam personale nomen *Elohim* v. 31. reperitur.
(2) *Personaliter*, quod patet *tum* ex nominis *Elohim* veram signi-
ficatione v. 31. *tum* ex trium distinctorum nominum introdu-
ctione, quia *Jehova*, *Adonai*, & *Elohim*, tantum in Psalmo circa
locum originalem occurrunt: *tum* ex ipsius objecti relatione:
Nam & mansuetudo, nobis commendata, passim refertur ad Pa-
trem originaliter, dum *misericos*, *longanimis*, *mansuetus*, *tardus*
ad iram &c. in locis innumeris appellatur: refertur & ad Filium
exemplariter *Matth. XI. 29.* refertur & ad Spiritum S. causaliter,
cum sit fructus Spiritus *Gal. V. 22.* hinc etiam *αρευνα πρᾶξις* &
non inconvenienter appellatur *I. Cor. IV. 21. Gal. VI. 1.* Et *Bona*
fortuna mansuetorum quater ad DEUM in *Psal. XXXVII.*
refertur, ut hæc ratione demonstratur, quod hæc *benedicta terra*
hereditas pendeat à DEO, tanquam à causa, non unâ ratione, sed
(a) *πιστωδῶς*, quod pertinet v. 9. *Sperantes*, vel *confidentes in Do-*
minum

minum (Jehovam) hereditabunt terram: Fides autem nostra fertur in DEUM Unicum, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum. (b) ὡσαύτως tum ad DEUM Patrem, v. 22. Benedicti ejus hereditabunt terram, maledicti autem excidentur: fideles enim sunt benedicti Patris, & benedicti ratione hereditatis, quod utrumque Christus tuculenter asserit Matth. XXV. 34. Tum ad DEUM Filium, vel Salvatorem Christum, v. 29. Justi hereditabunt terram, & inhabitabunt in seculum seculi super eam: Justi liquidem fideles sunt in Jehova Filio, qui est Jehova justitia nostra, Jer. XXII. 6. & nobis à DEO factus justitia, I. Cor. I. 30. Tum ad DEUM Spiritum S. v. 11. Mansueti (videl. ἐν πνεύματι πραότητι) hereditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis, nim. in Spiritu pacis, Job. XIV. 25. 26. Eph. IV. 3. cum delectatio, vel gaudium, & pax sit Spiritus S. Rom. XIV. 17. (3) Singulariter ita Christus est causa felicitatis Mansuetorum, partim ut singularis auctor, qui h. l. felicitatem istam è consilio divini secretis revelavit; partim ut singularis Doctor, qui hoc oraculo Christianos omnes de bona fortuna mansuetorum informavit; partim ut singularis collator, qui per hoc ipsum verbum, tanquam efficacissimum organum, felicitatem istam mansuetis hactenus communicavit.

14. Vel Ministerialis, sic Minister κατ' ἐξοχήν est ipse Christus, qui h. l. factus Apostolus, & promissor bona fortune mansuetorum, in primis quia dicitur in fine concionis hujus c. VII. 29. quod fuerit διδάσκων, ὡς ἐξουσίαν ἔχων, docens cum potestate, pondera nim. vel fulmina verborum: sed ordinariè sunt Ecclesie Ministri, qui, cum aliis spiritualibus donis, etiam hanc prosperam fortunam mansuetis annunciant, & annunciando per efficaciam verbi divini, tanquam DEI potentiam, Rom. I. 16. conferunt.

15. Vel instrumentalis, quod ex parte DEI sunt partim Verbum DEI, quod prosperè semper agit, Esa. LV. 11. & omnem hominum, in primis fidelium, & sic etiam mansuetorum, optimam fortunam promovet, imò dum μακάριοι, juxta praesens oraculum, dicuntur, sic μακαριστῶν illa quoque Verba DEI tribuitur

Lus.

Luc. XI. 28. Μακάριοι οἱ ἀκούοντες τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, καὶ φυλάσσοντες αὐτόν, beati, qui DEI verbum audiunt, & illud custodiunt: partim Sacramenta, q̄alia sunt Baptismus, q̄vi fons est divine confederationis, 1. Pet. III. 20. spiritualis regenerationis, Job. III. 6. spiritualis hereditatis, Tit. III. 6. ad quam h. l. respectus habetur, dum mansuetorum in eo fortuna consistit, quod hereditabunt terram; Et Cœna Domini, quæ nos pariter DEO conjungit, cibo spiritualis felicitatis alit, & mysticæ fortune participes reddit: Ex parte nostri fides est, quæ medium est spiritualis filiationis, Job. I. 12. spiritualis hereditatis, Jac. II. 5. spiritualis salutis ac felicitatis, 1. Pet. I. 9.

16. *Causa Materialis ex qua propriè nulla datur, si quis in credentibus mansuetis, fidem, & ipsam mansuetudinem ἀναλόγως, ceu materialia constituentia, respicere, vel alio respectu materialia conferre voluerit, per nos id facere poterit.*

17. *Subiectum, vel Materia in qua, dicuntur Mites, vel mansueti, οἱ πραεῖς, nimirum fideles, vel spirituales. Dicuntur autem mites, (1) qui non resistunt malo, sed bono vincunt malum, secundum Augustinum. (2) Qui non iracundiâ, vel rancore afficiuntur, sed æquanimitè omnia sustinent, secundum Gloss. Ordin. (3) Secundum Theophyl. in h. l. Mites sunt, non qui prorsus non irascuntur, sed qui iræ vim habent, continent autem, & quando oportet, irascuntur. (4) Secundum Chromatium in h. l. Mites sunt mansueti, humiles, modesti, in fide simplices, & ad omnem injuriam patientes, qui præceptis Evangelicis instituti Dominicæ mansuetudinis imitantur exemplum. (5) Secundum alios dicuntur placidi, moderati, tractabiles. (6) Secundum alios, qui patienter omnes injurias perferre suscipiunt, vel etiam multis injuriis & contumeliis læsi jus suum strictè non persequuntur, sed ad condonandum injurias faciles, & maxime propensi reperiuntur. (7) Qui DEO non obmurmurant, nec ob impiorum prosperitatem, nec ob suam, vel aliorum piorum adversitatem. (8) Qui nullâ vindictæ cupiditate laborant, sed morum suavitate cunctos, etiam inimicos, sibi conciliant,*

B

18. Ma.

18. *Materia circa quam, vel objectum Bonae fortunae, pariter sunt mansueti, quos illa spiritualiter ornare contendit: sed mansuetudinis, vel etiam Mansuetorum objectum dicitur esse DEUS, Proximus, & ipse mansuetus. Nam Christiani debent esse mansueti (1) erga semetipsos, ut omnes commotiones, & perturbationes reprimant, & compescant. (2) Erga DEUM, juxta B. Chemnit. h. l. ut non indignentur, aut turbentur, vel ob impiorum successum, vel ob proprias adversitates, à DEO immissas: sed animo placido judicia DEI ferant. (3) Erga homines alios faciant bonitatem, muniant se fide & veritate, imò læcessiti variis injuriis non ita commoveantur, ut male faciant, Matth. V.*

19. *Causa formalis facilius allegatur, quam explicatur, dum hæc etiam Bonae Mansuetorum fortuna suo merito non inconvenienter inter mysteria numeratur. In mysteriis autem res creditur, forma rei nescitur. Consistit autem hæc Bonae Mansuetorum Fortuna in mera Mansuetorum Beatitudine; hæc autem colligitur (1) ex Spiritus mansuetudinis susceptione, quia Spiritus Sanctus est Spiritus mansuetudinis, qui non tantum in specie columbe, volucris maximè mansuetæ, se manifestare, sed quoque semetipsum mansuetudinis Spiritum appellare voluit Gal. V. 22. &c. (2) In fiduciali Christi mansueti apprehensione, Matth. XI. 28. (3) In mansuetudinis DEI Patris imitatione, cum ubique mansuetudo DEI Patris, clementia, longanimitas &c. commendetur, quam nos Christiani, prout genuinos DEI filios decet, imitari debemus. (4) In pacis divina possessione, quia tales mansueti pacem habent cum DEO, sanctis Angelis, cum omnibus hominibus, & cum sua pariter conscientia &c.*

20. *Causa finalis alia dicitur respectu DEI, nim. vel ultimata, DEI gloria, quam etiam ultimato respicit mansuetudo mystica: vel subordinata, vera cum DEO novitia, quia mansueti Christiani non ob alium finem huic virtuti student, quam ut mysticam cum DEO communionem habeant, II. Pet. I. 4. imaginem*

ginem divinam postliminiò recipiant, & in DEO, cum DEO, secundum DEUM, in vera Christiana mansuetudine semper ambulent. *Alia* respectu proximi, quia cuncta mansuetudinis officia, vel exercitia dilectionem proximi respiciunt. *Alia* respectu sui, nim. ut se genuinum mansueti Patris cœlestis Filium, consanguineum Christi Salvatoris Fratrem, & imitatore, Esa. LIII. 7. I. Pet. II. 23. & pulcherrimum Spiritus Sancti Templum, Christianus mansuetus ostendat.

21. Post causas etiam proprietates explicare possemus, cum hæc *Bona Fortuna Mansuetorum* sit divina, respectu *Causæ*, mystica ratione *formæ*, spiritualis ratione *materiæ*, salutaris ratione *finis & metæ*: necessaria, jucunda, facilis, utilis &c.

22. III. *Analysin Rhetorico-Homileticam*, quâ ratione Christus, *idea vera mansuetudinis*, Matth. XI. 28. & *causæ vere Felicitatis*, quam virtus mansuetudinis Christianæ parit, hic de *Mansuetudine* disserit, & omnis generis encomia, cum primis *Bonam Mansuetudinis Fortunam* proponit, describens (I.) *Bonæ Fortune Mansuetudinis Statam*, felix sind / quibus indicantur (1) *Bonæ Fortune Veritas*, quia *maxima* prout di-
vinitus constituta, nim. ab æterno, revelata in tempore, promissa in verbo. (2) *Bonæ Fortune puritas*, quia merè beati sunt, dum hæc bona fortuna in mera, puraq; beatitudine consistit, (3) *Bonæ Fortune perpetuitas*, sind / quia semper est, semper præ-
sens est mansuetis, cum semper maneat, & valeat illud, felix sind. (II.) *Bonæ Fortune Subjectum*, quod sunt *Mansueti*, qui nec ira, nec vindictæ cupidi sunt, adeoq; sunt (1) *mansueti animo*, quia corde mansuetudinis virtutem fovent. (2) *Mansueti verbo*, quia lenitate verborum crucem & injurias omnes suscipiunt. (3) *Mansueti factis*, vel *exercitio*, quia factis etiam, totâq; vitâ mansuetudinem præ se ferunt. (III.) *Fortuna mansuetudinis Symbolum*, denn sie sollen das Erdreich besitzen / nim. (1) *regnum terrenum*, quia benè ipsis erit in externa vita. (2) *Regnum Mysticum*, videlicet in terris, quod est Ecclesia. (3) *Regnum cœlicum*, novam vid. terram, novum cœlum, Esa. LXVI. 22. II. Pet. III. 13. Apoc. XXI. 1.

23. (II.) *Christiane Mansuetudinis Gloriam*, quæ dicitur
 tergemina. (I.) *Gloria finalis collimationis*, selig sind / sic gloria
 mansuetudinis est gloria beatitudinis, quæ dicitur (1) *Beatitudo*
divina, quam DEUS nobis destinavit, Christus prædicavit, Spi-
 ritus S. per verbum applicavit. (2) *Beatitudo ampliata*, quia
 loquitur in *pluribus mancipiis*, quæ nim. omnibus oblata, & cui-
 bet contingere potest. (3) *Beatitudo activa*, quæ vid. per o-
 perationem, & activam collationem DEI, fidelibus mansuetis
 contingit. (II.) *Gloria formalis*, οἱ πρῶτος, qui mites h. l. tri-
 plici respectu dicuntur, (1) *ratione sui*, sic mites sint *pœnitentiâ*,
Psalm. XXXII. 9. (2) *ratione DEI*, sic mites sint *patientiâ*, ut cru-
 cem immissam patienter animo miti ferant. (3) *Ratione pro-*
ximi, mites sint *benevolentia*, ut semper ei benè cupiant.
 (III.) *Gloria Materialis*, quia hæreditabunt terram, nim. (1) *Ter-*
ram naturalem, quam incolimus. (2) *Terram spiritualem*, Ecclesiam
 (3) *Terram cœlestem*, quæ vera dicitur *hæreditas*.

24. (III.) *Arcana Mystice Mansuetudinis*, quo pacto Chri-
 stus tradit (I.) *Arcana Beatitudinis*, selig sind / quâ ratione sunt
 (1) *arcana beatitudinis summe*, quia sunt DEI. (2) *Arcana bea-*
titudinis mystice, ratione rei, quia beatitudo hæc etiam *myste-*
rium. (3) *Arcana beatitudinis maxime*, quia sunt *mancipiis*, in-
 definite, quotquot per *fidem* hanc *beatitudinem* obtinere volunt,
 per *DEI Verbum* eam obtinere possunt. (II.) *Arcana mystice*
habitudinis, vel ipsius *Mansuetudinis*, οἱ πρῶτος, quia sunt (1)
mansueti ἐξοχικῶς, nim. à Spiritu S. præ *mansuetudine naturali*,
 & *monli*. (2) *Mansueti πνευματικῶς*, cum merè *spiritualis*
 sit *virtus*. (3) *Mansueti ἐνεργητικῶς*, qui sc. virtutes *mansue-*
tudinis semper exercent: Vel *mysticè mansuetus* sit (1) *mansuetus*
erga DEUM. (2) *Mansuetus erga proximum*. (3) *Mansuetus*
erga semetipsum. (III.) *Arcana mystice possessionis*, quia *terram*
possidebunt, vel *hæreditabunt*, quâ ratione dicitur (1) *possessio cer-*
tissima, denique solent ex *futuro divino*, ex *promisso divino*, ex *fac-*
tō divino. (2) *Possessio plenissima*, das *Erdrreich* / non *terre* par-
 tem, sed *totam terram*. (3) *Possessio firmissima*, quia *hæredita-*
bunt, vel *hæreditatis jure* possidebunt *terram*.

25. (IV.) *Mansuetorum proximi*, quia Christus adducit
 (I.) *Proximos Mansuetorum* $\chi\eta\eta\sigma\tau\upsilon$, felices sunt, quâ ratione dicitur
 (1) $\chi\eta\eta\sigma\tau\upsilon$ eminentissima, cum in beatitudine consistat. (2) $\chi\eta\eta\sigma\tau\upsilon$
 $\sigma\iota\varsigma$ convenientissima, quia *μακάριοι* sunt maximè gaudentes.
 (3) $\chi\eta\eta\sigma\tau\upsilon$ presentissima, sunt in presenti beati. (II.) *Proximos*
Mansuetorum $\Phi\upsilon\sigma\tau\upsilon$, hæc requirit (1) *Mansuetudinem cordis*, ratio-
 ne fundamenti. (2) *Mansuetudinem oris*, ratione documen-
 ti. (3) *Mansuetudinem operis*, ratione complementi. (III.) *Proximos*
Mansuetorum $\alpha\lambda\eta\theta\iota\sigma\tau\upsilon$, quia possidebunt terram, quâ ratione dicitur
 (1) $\alpha\lambda\eta\theta\iota\sigma\tau\upsilon$ indubitata, denn sic sollen. (2) $\alpha\lambda\eta\theta\iota\sigma\tau\upsilon$ Maxima, das
 Erdreich. (3) $\alpha\lambda\eta\theta\iota\sigma\tau\upsilon$ Optima, besitzen instar hereditatis.

26. IV. *Analysin Theoretico-Prædicam*, cujus respectu no-
 tamus (I.) *Didactica*, qualia sunt (1) DEUM esse summè bonum,
 qui Christianis virtutibus singulis suam beatitudinem destinaverit,
 ut h. l. Christus exponit, eamq; premio amplissimis ornave-
 rit, cum hinc Mansuetis hereditas terræ promittatur. (2) Chri-
 stianas virtutes apud DEUM in summo precio versari, cum
Mansuetudinem h. l. beatitudine verâ, optimâ fortunâ, heredita-
 te amplissimâ donaverit. (3) *Mansuetudinem* verè esse *Chri-
 stianam virtutem*, cum non sit peccatorum, sed in Christo beato-
 rum, non simpliciter hominum, sed fidelium, non sit servorum,
 sed filiorum, qui juribus hereditatis fruuntur. (4) *Mansuetu-
 dinem* esse virtutem DEI Patris, Filii, & Spiritus S. prout supra
 circa causam efficientem notavimus. (5) *Mansuetudinem* esse
 consequens verae penitentia: dum enim peccator penitens con-
 siderat, DEUM iratum omnem per veniam propter peccata con-
 ceptam iram deponere, cunctaq; peccata remittere, mansuetu-
 dinem coelestis Patris, ceu penitentiae causam, post penitenti-
 am Christianam mansuetudinem requirere, colligit. (6) Di-
 versum esse Christi, mundiq; iudicium. Nam *Mundus potentes,
 feroces, divites, & omnia bona violenter corridentes, beatos ju-
 dicat, item injurias non ferentes, sed depellentes, graviter se-
 suosq; contra quosvis inimicos ulciscentes, & victoriam ab ipsis
 reportantes, felices prædicat: sed Christus injurias devorantes,*

non repellentes, sed admittentes, atque patientes, nihil ejus ul-
ciscantes, mansuetudinem in omnibus exercentes, inimicis be-
nefacientes, verè beatos esse. (7) DEUM etiam *debita* suis be-
neficiis remunerari, cum mansuetudo sit virtus DEO debita,
quæ tamen hîc illustrissimam promissionem accipit, quòd man-
sueti terram hæreditate possessuri sint. (8) *Incundos* facillè
bella movere, se suosq; periculis exponere, mansuetos in pace
sedere, & in pace sua retinere. (9) *Mansuetos*, & in Domino
quavis fortunâ contentos, veram *autâque* habere, nihil ad-
mittere posse, DEUM in periculis, exiliis, & aliis malis præsen-
tem, & terram, sive propriam, sive peregrinam, patriam cense-
re. (10) *DEI promissiones* amplissimas esse, cum hîc Mansue-
tis terra promittatur &c:

27. (II.) *Elenctica*. Sic errores varii notari hîc possunt.
(1) Mansuetudinem neque beatitudinis principium, neque meri-
tum esse, sed potiùs gratuitum *DEI premium*, contra *Papistas*.
(2) *Vulgata Versio* Beatitudinem mansuetorum secundo loco
proponit, & beatitudini lugentium præmittit: inde varia *Pa-*
pista colligunt, e. g. in *Gloss. Ordin. Congrua*, scribitur, est ascen-
sio. Prius est contemptus seculi, cui dantur æterna, inde mores tem-
perat mansuetudo & lenitas: & non est mitis, qui prius pauper
non fuerat. Impossibile est enim, secundum gradum ascendere,
nisi primum apprehenderit: quia inter divitias, curas, odia, animus
non est mitis, sed hujus incendi materia vix ad parum delebitur:
& ideo hæc lenitas sæpè corrumpitur, vel extrahitur: unde subdi-
tur: Beati, qui lugent pro suis, vel aliorum peccatis, qui est ab ir-
riguo inferiorum: sed qui sit ab irriguo superiori, est ex desiderio
cælestis patris: ille lavat peccantes sordes: hic accendit acrius a-
ternorum amatores. Qui autem peccata deposuit, mores man-
suetudine correxit: flevit etiam, jam potest esurire & sitire justi-
tiam, quod prius non poterat: hæc virtus sine Spiritu fortitudi-
nis non impletur, quia per eum esuriendo ad satietatem quandoque
veniemus. Vid. *Novar. Aloys. in b.l.* Post paupertatem, inquit, Spiritus
celebrat *mititatem ac mansuetudinem*, & beatos mites vocat. *Re.*
Bus

Etus ordo. Nam qui verè humilis est, mitis ac patiens est, & facile omnes, injurias fert. Mititas vituperationis lapides in gemmas vertit, quibus suam coronam exornat; ac convictiorum veneno utitur pro medicina. Etiam Christus mitem simul & humilem se dixit Matt. XI. 29. Mitis, inquit, sum, & humilis corde. Et S. Lucas hanc beatitudinem praterit, quia nempe in prima continetur. Etiam apud Hebraeos magna inter pauperem & mitem affinitas: nam *עני* pauperem, *עני* verò mitem, humilemque significat. Guido Carmel. in Quatuor unum ad b. l. p. 145. Verùm contrarium textus Græcus, exemplaria correctiora, rei natura, beatitudinis scala, cum aliis, ostendunt. (3) Hugo Grotius per terram firmas & constantes amicitias hinc intelligit. Sed hoc superiùs refutatum. (4) Alii per terram intelligunt terram proprie sic dictam, quam incolimus, Chrysost. homil. 15. in Matth. August. de Serm. Dom. Euthymius, Theophyl. in h. l. Alii terram novam in futuro seculo, sicut Orig. homil. 26. in Num. Basil. in Psalm. 33. Cyrill. in c. 58. Esa. Nyssen. de beatit. Hieronym. in h. l. Damasc. l. 2. de orthod. fid. c. 10. Sed alii sensum utrumque conjungunt ex illo I. Tim. IV. 8. (5) Socin. in Explic. h. l. censet Psalm. XXXVII. saltem terrena bona sub V. T. hinc sub N. T. potissimum, imò solum bona cœlestia promissa fuisse: Sic enim scribit: Hanc sententiam sine dubio mutuatus est Christus ex Psalm. 37. & hinc factum est, ut hoc in loco vita aeternae atque immortalis possessionem vocaverit possessionem terrae: nempe quia in eo Psalmo disertè possessionis terrae fit mentio, quod quidem sub Vetere Testamento, ubi bona **TANTUM TERRENA** promissa fuerant, poterat de ipsa terrae possessione intelligi; sub Novo autem, ubi **POTISSIMUM** Cœlestia bona sunt promissa, eaq; **FERME SOLA**, statuendum est, significare cœli possessionem, seu novam illam terram, & novum cœlum, quod ex DEI promisso Christiani expectant. Adde, quod in Psalmo nulla fit mentio beatitudinis, isto in loco, quae hinc disertè commemoratur, quaeque nusquam alibi haberi potest, nisi in vita immortalis. Verùm contrarium ex Psalmorum initio Psalm. I. i. multisque Psalmis aliis, est manifestum, cum frequentissima beatitudi-


nis

nis mentio fiat: & illa *hypothesis*, quod in V. T. terrena tantum, in Novo sola spiritualia bona promissa sunt, sapius à nobis refutata: contrarium etiam *Psal. XXXVII.* consideratio multis argumentis luculenter ostendit, quod modò pluribus persequi non licet.

28. (III.) *Padeutica*: Mansuetudinem esse *virtutem* (1) *Maximam*, cum beatitudinem secum habeat. (2) *Intimam*, cum fideles in se mansueti fiat. (3) *Optimam*, & utilissimam, cum terræ promissionem obtineat. (4) *Mitis est Christus, Matth. XI. 28.* mites etiam nos simus. (5) Mansuetudo est virtus laudabilis ratione *DEI, proximi, & ipsius viri mansueti.* (6) Mansueti nullis *obsunt*, cunctis *profunt.* (7) Mansueti *cordis sunt quieti, vice quiete.*

29. (IV.) *Epanorthotica*. (1) Mansuetos non esse *seynes, & ignavos*, cum sua perdant, dum non rixantur, & litigant pro rebus temporalibus: quia Christus dicit, eos terram hæreditare. (2) Non *infelices* esse, quando coram mundo patiuntur, sed *beatos*, quando terra potiuntur. (3) Non esse *stultos & insanos*, dum quasvis injurias devorant, sed *sapientes & prudentes*, dum vindictam omnem *DEO* committunt. (4) Iniquum esse *mundi iudicium*, quo dicitur: *Qui causam suam commendat hominibus, amittit eam dimidiam; qui DEO commendat eandem, amittit eam totam*: contrarium hinc Christus docet. (5) Non *divites, nec Magnates*, sed mansueti beati dicuntur, cum neque *divitiæ, nec honores felices reddant*, sed *virtutes*, hinc *Chrysof.* *Vide, quomodo nullibi divitum quenuquam non generosum, non gloria potitum beatificant divinis leges, sed virtutem tantum asserunt?*

30. (V.) *Paracletica*. (1) Qui mansuetus causam suam non agit, *eius causam DEUS* agit. (2) *Ultionis propriæ remissio* nihil aliud, quàm *ultionis divinæ commissio.* (3) *Mansuetorum hæreditas est terra.* (4) *Terra tota mansuetorum patria.* (5) *Injuriarum passio est ipsorum inimicorum possessio.* (6) *Mansuetorum est beatitudo, possessio, nis magnitudo, hæreditatis certitudo &c.*



Optima mansuetis contingunt fata beatis,
 Felices, Christo iudice, semper eunt.
 Illsq; placent Domino mansueti, pectore mites,
 Mansuetus Dominus dum cluit ipse DEUS.
 Plurima longanimis tolerat peccata JEHOVA,
 Nec subito pœnas ense furoris agit.
 Exemplô summo sic Mansuetudo probatur,
 Christicolæ ut mites, longanimesq; sient.
 Ipse Logos Patris tales fert esse beatos,
 Quos jubet heredes esse soli, atq;ve poli.
 Talia præclaris studiis, CLARISSIME FAUTOR,
 Tractas, & Christi verba beata notas.
 Perge piis studiis benedicet Gratia Celi,
 Atq;ve bonis multis commoda magna dabit.
 Hoc precor ex animo, quod & audiat ipse JEHO.
 Sic mox Ecclesie Tute Minister eris! (VA

*Clarissimo Dno. M. Respond. Convictori
 suo honorando, gratulat. & felicioris
 ominis ergo scrib.*

JOHANNES Deutschmann/ D.

Ardua pertractas, dum Mansuetudinis amplam
 Demonstras Sortem, laude beandus eris.

Auguro.

Auguro, Nobilium Monitorem Te esse futurum,
Quin precor, inductus pluribus indicis.
Illos ut valeas rectè utiliterq; monere
Te moneo, Sortem hanc sedulitate stude.

D. JEREM. LOSSIUS,

Med. P. P. Extraord.

QVæ Mansvetorum bona sit Fortuna, reducis
De longâ exilii conditione pius.
Laudaris meritò; quod habent oracula Summi
Numinis ex votò commoda mille feres.
Sit rabies aliis, & clandestina probata
Factio, mansvetum dextra sacrata juvat.
Cui micat ex oculis fraus, & dementia discors,
Hic nigris corvis mox cibus esse potest.
Exagitent alii sine spe & formidine Poenæ
Mansvetum certò vita salusqve manet.
Confidant alii mortalibus usqve Patronis
Mansvetum tandem virtus amica tegit.

Hæc
Amicitia individua ergo

f.

T. K.




05 4 365

ULB Halle 3
004 210 069


V34







Q. D. B. V.
DISSERTATIO THEOLOGICA
DE
**BONA MANSVE-
TORUM FORTUNA,**

Ex Oraculo Christi juxta Matt. c. 5. v. 5.

QVAM
SUB PRÆSIDIO
VIRI

Maximè Reverendi, Magnifici, Amplis-
simi atque Excellentissimi,

DN. JOHANNIS DEUTSCHMANNI,
SS. Theol. Doctoris & Prof. Publ. undiqvae
Celeberrimi, Alumnorum Electoralium Ephori
longè Gravissimi & p. t. Decani specta-
tissimi,

Eruditorum Examine subjicit

M. JOHANNES CHRISTOPHORUS Köhler/
Bornens. Misnicus,

in Auditorio Majori

ad d. 5. Novembr. A. O. R. M. DC, LXXVII.
horis consuetis.

WITTEBERGÆ, Typis JOHANNIS BORCKARDI, Acad. Typ.
excudebat SIMON LIBERMIRT.